

**05**

**A**

**193**





2. D. B. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
CHRISTIANA SPI-  
RITUALITER LUGEN-  
TIUM FELICITATE,

Ex Matth. V. v. 4.

QVAM

DEO TRINUNO AUSPICE  
In Electorali Academia Wittebergenſi  
SUB MODERAMINE  
VIRI

*Summè Reverendi, Ampliffimi atq; Excellentiffimi,*

DNI. JOHANNIS *Deutſchmann*/

SS. Theol: D. longè celeberrimi, ejusdemq; Facult:

Prof: Publ: ordinarii famigeratiffimi, & Alumnorum  
Electoralium Ephori Graviffimi.

*Domini Præceptoris, Patroni ac Promotoris ſui, Filiali obser-  
vantia eternum colendi, devenerandi.*

Publicæ Θεολογικῶν συζητήσεως ſubjicit

GEORGIUS SUTORILIS, Sempronio-Hung.

IN AUDITORIO MAJORI.

Die 8. Octobris, horis antemeridianis

A. O. R. M. DC. LXXVII.

---

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS BORCARDI, Acad. Typ.  
Excudebat SIMON. LIBERHIRT.

DISPUTATIO THEOLOGICA

CHRISTIANIA

RITUALITER

TIMMELICITATE

Ex Mach. V. 4.



05 A 193

GEORGII

ATTENTIO





I. N. J.

De  
CHRISTIANA SPIRITUALITER LUGENTIUM FELICITATE.

**T**extus Græcus: Μακάριοι πνεύματι, ὅτι αὐτοὶ ὀφραληθήσονται. Latinus Vulgati: *Beati, qui lugent: quoniam in ipse consolabuntur.* Germ. Lutheri: *Selig sind / die da Leid tragen / denn sie sollen getröstet werden.*

I. Ut ordine consueto procedamus, & hoc etiam CHRISTI Salvatoris Oraculum planius & plenius expendamus, notabimus I. *Analyse Grammatico-Philologicam*, quæ vocum dilucidationem potissimum respicit. Μακάριοι h. l. rursus lugentes appellantur: Socinus quidem in Explic. Conc. CHRISTI Matth. V. seqq. p. r. notat, quod hæc vox non adeo convenienter per felices reddatur, scribens: *Quod attinet ad ipsas beatitudines, quas CHRISTUS docet, & commemorat, conspiciendum est in genere, quid sit h. l. beatum esse, de quo libenter verba facio, quia video in versione Polonica Novi Testamenti, quæ Ecclesia nostra hætenus utitur, esse verbum græcum redditum eo verbo, quod proprie Felicem significat, id quod mihi parum probatur, cum græcum verbum μακάριοι aliquid significet, quod verbo latino Felicis non bene videtur exprimi. Nam nisi memoria fallit, sentiunt viri eruditi, illud græcum verbum plus significare, quam illud latinum, & divinam quandam felicitatem proprie declarare, quamvis etiam aliter usurpatum nomen illud græcum inveniatur. Proponit igitur CHRISTUS ante oculos verbo isto, felicitatem illam plusquam humanam, & cui nihil possit addi. Sed ejusmodi*  
A subtilis

subtilitates hic CHRISTUS minime respicere voluit, unde  
parum refert, siue per *beatos*, siue per *felices*, latino sermone vox  
*μακαρίων* exprimat: nec in *Germanica* lingua communiter  
redditur aliter, quam per vocem *Selig* & haec *B. Lutherus* in  
omnibus versiculis retinuit.

2. Οἱ πένθοντες, à πένθει *lugeo*, quod deducitur à nomine  
πένθ  $\text{\textcircled{C}}$  *luctus*, quod proprie significat *luctum*, vel *mærorum ex*  
*morte propinquorum, vel amicorum*. hinc nonnulli πένθ  $\text{\textcircled{C}}$  deri-  
vant à πένθ  $\text{\textcircled{C}}$ , sicut βένθ  $\text{\textcircled{C}}$  à βάλθ  $\text{\textcircled{C}}$ , & mutato in ε, & per  
*pleonasmum* non in consuetum inserto τθ, γ: deinde generaliter  
ad *quemvis luctum gravem* significandum adhibetur. Hinc in  
*Novo Testamento* verbum πένθει significat (1) *cum, vel ex affectu*  
*lugeo*, sicut *amici sponsi* solent absentiam, vel carentiam sponsi  
lugere *Matth. IX. 15.* (2) *cum effectu, vel ejulatu lugere*, sicut  
sæpius πένθειν & κλαίειν conjunguntur *Marc. XVI. 15. Luc. VI.*  
*25. Jac. IV. 9. Apoc. XIII. 11. 15. 19.* (3) *lugere cum, vel ex defectu*  
*tum sponsi, Matth. IX. 15. tum CHRISTI Marc. XVI. 25. tum*  
*mercimonii*, sicut *mercatores* ob defectum omnem mercaturæ lu-  
gere perhibentur *Apoc. XIII. 11. 15. 19.* (4) *lugere cum, vel ex*  
*excessu, tum mali culpæ*, sicut *Corinthii* propter gravissimum  
excessum, incestuosi lugere jubentur *I. Cor. V. 2. & Paulus lugere*  
*vult ob impenitentiam numerosorum peccatorum II Cor. XII. 21.*  
*tum mali pœnæ, vel crucis, vel miserie humane*, sicut *Jacobus c. IV.*  
*9. tres imperativos* conjungit; *ταλαιπωρήσατε, καὶ πενθήσατε,*  
*καὶ κλαύσατε*, nec id sine causa: nam sunt *imperativi divini*,  
qui per Spiritum S. nobis præscribuntur, & propter peccatum  
nobis hominibus imponuntur: sunt *imperativi indefiniti*,  
dum omnes in *aoristo* positi, quo significatur, *indefinite* nos per  
*imperativos istos* obligari: sunt *pluralis numeri*, quo designatur,  
quod omnes his *imperativis* sumus obnoxii, dum omnes versamur  
in *miserie statu*, in *miseriæ luctu*, in gravissimo propter miseri-  
am *ejulatu*: hinc etiam elegantem *gradationem* Spiritus Sanctus  
In his *imperativis* ostendit: *ταλαιπωρήσατε* incipit, dum nos  
propter peccatum *miseros* esse docet: *πενθήσατε* pergit, dum  
nos

nos ob miseriam afflictos, & propterea *luctu* plenos ostendit: *κλαύσατε* definit, quia *luctum* gravissimum in *ejulatum* erumpere definit: primus *vitam*, secundus *animam*, tertius *lingvam* respicit, dum *vita* miseris scetet, *anima* *luctu* gravi dolet, & *ejulatu* magno *lingva*, vel *os*, *luctum* internum prodit.

3. In *luctu* *presentis* *omaculi* quoque τὸ κλαίειν non excluditur, sicut in loco *parallelo* *Lucas* *e. VI. 25.* ostendit, qui verbum utrumque conjungit, *πενθήσατε καὶ κλαύσατε*: imo *luctus* *spiritualis* non absque *emphasi* *cunctas* *significationes* istas conjungit, & *luctus* hujus plenitudinem arguit, siquidem *luctus* *spiritualis* luget (1) *cum* *affectu*, quia nisi *DEUM* per *fidem* ex *affectu*, filiorum instar, diligimus, nunquam recte *spiritualiter* lugere possumus. Filii dolent offensum patrem, & ex *affectu* filiali Patris reconciliationem expectant: *peccatores penitentes* sunt *mystici filii* lugent offensum Patrem caelestem, & ex *affectu* filiali per *fidem* reconciliationem ejus, & remissionem peccatorum expectant. (2) *cum* & *ex defectu*, quando nim. innumeros suos *defectus* in bonis, & totalem *spiritualem paupertatem* considerant. (3) *cum* & *ex excessu*, quando *malorum excessus* in omnibus suis actionibus observant, & omne figmentum cordis tantum malum esse *Gen. VI. 5.* secum animo ponderant. (4) *cum* *effectu*, vel *ejulatu*, quando gravissima sua peccata, totamque naturæ corruptionem deplorant.

4. Hinc facile colligitur, quod per τὰς πένθοντας h. l. non intelligat Christus (1) Eos, qui *levem* *aliquam* *tristitiam* experiuntur, aut *levi* de causa *luctu* *quodam* afficiuntur, cum *luctus* non *leviorem*, sed *graviozem* *tristitiam* inferat, & πένθος non *quemvis*, sed *gravissimum* *luctum* etiam per *naturam* *vocis*, & *primitivæ* *significationis* offerat. (2) nec Eos, qui *mundanorum* *hominum* *more* *lugere* perhibentur, utpote qui suos *cognatos*, *parentes*, *liberos*, *conjuges*, *fratres*, *sorores*, & alios *consanguineos*, vel etiam *fidios* & *conjunctissimos* *amicos*, aut *res* *externas* *fortunæ* *deperditas* in regno *potentiæ* *lugere* perhibentur, sicut *Apoc. XII. 15. 19.* adhibetur. (3) Sed eos, qui *more* *Christianorum* lugent,

lugent, vel peccata sua defiendo, cum Davide in Psalmis penitenti-  
tialibus, & cum aliis verè penitentibus: sicut pulchre Chrylосто-  
mus observat: Propterea, scribit, & Salvator ait: Beati, qui  
lugent, non mortuum, non jacturam, sed peccatum; vel miseriam to-  
tius humani generis deplorando, cum hæc mala, quæ premunt  
universum genus humanum, vere sint lacrymis majora: vel cru-  
cem & persecutionem immittas dolendo: vel exilium à cælesti  
patria, & carentiam summi ac infiniti boni, perferendo sicut  
Gregorius hoc Nyssenus intelligit.

5. Ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται: ὅτι particula vel causalis,  
vel etiam eventualis est, pro diversa relatione: causalis, quando  
respectus habetur ad beatitudinem, quam parit ipsa divina, vel  
efficacissima consolatio: sed eventualis est, quando respectus  
habetur ad luctum spirituale; nam mundanum gaudium sequi-  
tur luctus & cordoliam, sed luctum mysticum & Christianum se-  
quitur divinum gaudium & solatium.

6. Αὐτοὶ videtur esse superfluum, quia licet absolute dix-  
isset, ὅτι παρακληθήσονται, sensus tamen plenus extitisset; addit  
autem ἐμφανῶς αὐτοὶ, tum propter emphaticam notabilita-  
tem, ut tales spiritualiter lugentes quasi digito nobis ad imita-  
tionem monstraret; tum propter emphaticam amabilitatem,  
quia vox αὐτοὶ designat, quod vehementer Christus amet ejus-  
modi lugentes, & nunc nomine, nunc pronomine, mentionem  
ipsorum faciat: tum propter emphaticam dignitatem, quia tan-  
ta lugentium dignitas, ut vere beati sint, atque dicantur, licet  
mundo stulta, vel imaginaria saltem videatur beatitudo.

7. Παρακληθήσονται, minus commode per Vulgatum red-  
ditur, consolabuntur, voce passiva, contra communem Latino-  
rum usum, cum potius circumscriptio quadam passiva signifi-  
catio sit exprimenda, consolationem consequentur, consolatione  
fruentur, consolationem accipient, percipient &c: Verbum hoc  
alias varias admittit significationes: Significat enim (1) proprie.  
quoad etymologiam, advoco, ad me voco, accerso. (2) in patro-  
cinium advoco, patrocinium imploro, patronum expeto: hinc

Ἐπικλη



παρηγορησ dicitur *Advocatus*, Patronus Job. XIV. 16. 26. XV. 26. XVI. 7. de Spiritu S. I. Job. II. 1. de Christo. (3) *Consolor*, solatio reficio Act. XVI. 40. & passim alibi, ut & h. l. Hinc passivum παρηγορησ significat vel *passive* getröstet werden, consolatione erigi, vel consolationem percipere, h. l. Luc. XVI. 25. Act. XX. 12. I. Cor. XIV. 31. II. Cor. I. 6. VII. 13. Col. II. 2. I. Thes. III. 7. vel *neutraliter*, consolationem admittere, sich trösten lassen Matt. II. 18. (4) *rogo*, obsecro Matt. IX. 5. (5) *precor*, absolute I. Cor. IV. 13. (6) in specie deprecari Act. XVI. 39. (7) *Exhortor*, adhortor, moneo, Luc. XI. 18. &c: Vid. Schmid. ad Marc. I. 40.

8. II. *Analysin Logico-Theologicam*, sic agitur h. l. de *Spiritualium Lugentium Felicitate*. Quoad *onomatologiam* dicitur (1) *Felicitas*, quia lugentes hi vocantur Μακάριοι, felices & beati. Hæc autem *Felicitas*. (1) non est *sensualis*, quia neutiqvam externis oculis corporis observari potest, cum ejusmodi lugentes sæpius in cinere sedeant, & cilicio, quando veram penitentiam dolentes agunt Matt. XI. 21. ut nihil in illis *felicitatis* appareat. (2) nec est *rationalis*, quam humana ratio vel percipere, vel intelligere possit I. Cor. II. 14. cum spiritualia totus animalis homo non capiat: & ratio nostra saltem in *rebus externis*, vel etiam *moralibus*, felicitatem dari censet, internam spiritus felicitatem parum curat. (3) sed est *spiritualis*, quia Christus h. l. tantum ad *spiritualia* respicit, sicut ex omnium *versiculorum* de *beatitudine* loquentium, collatione manifestum.

9. (2) Dicitur *Felicitas lugentium*, novo quodam *paradoxo*: cum *luctus* à *miseria* pendeat, circa *miseriam* occupetur, in *miseria* consistat, & quantum in se consideratur, ad *miseriam* tendat, vel in *miseriam* desinat: ut ita *luctus* per se *miseriam* & *infelicitatem* efficienter, materialiter, formaliter, & finaliter, respiciat, nihil felicitatis inferat. Talis autem est *luctus externus*, vel *rerum externarum*. Sed *luctus internus* & *mysticus* longe diversæ conditionis, quia non est λύπη ἢ πόσος, sed λύπη καὶ πένθος, sicut utramque distingvit Paulus II Cor. VII. 10, 11. Δα-

*etur luctus bonus, scribit Dn. D. Calovius in Bibl. illustr. ad Matth. V. qualis est ob peccatum, sive à nobis, sive ab aliis commissum: datur malus, qualis est impiorum ob interceptas voluptates: datur medius, qui ex se nec bonus, nec malus est, qualis est eorum, qui rerum suarum jacturam faciunt, qui malus fit, dum immoderatus est: datur λύπη τῷ κόσμῳ, & λύπη κατὰ θεόν, distinguente Apostolo II Cor. VII. 10. altera miserorum & infelicitum, altera beatorum est, de hac, non verò de illà Christi γνώμη sonat, qua beati pronunciantur, qui lugent peccata, à se commissà, λύπη κατὰ θεόν.*

10. (3) Dicitur *felicitas Spiritualium lugentium, tum quia verba secundum substratam materiam intelligenda sunt: hic autem CHRISTUS de spiritualibus sermonem facit; tum quia beatitudo non est alia, quam spiritualis, adeoque spirituale quoque subjectum requirit; tum quia luctus etiam spiritualis à CHRISTO saltem attenditur, qui non aliorum, quam spiritualium lugentium esse potest; tum quia τῷ πνεύματι de communi ex vers. precedenti subintelligitur, ac proinde repetendum venit.*

11. Circa *pragmatologiam* notamus (1) *Felicitatis Spiritualium lugentium existentiam, quæ probatur (1) ex CHRISTI Salvatoris assertione, quia CHRISTUS h. l. spiritualiter lugentes beatos pronunciat: jam ubi concretum, ibi pariter abstractum: dantur οἱ πενθῶντες μακάριοι, ergo datur etiam μακαριότης, beatitudo, seu felicitas in taliter lugentibus. (2) ex loci paralleli collatione Luc. VI. 21. 25. (3) ex vera penitentis consideratione, quia si quis peccatorum suorum turpitudinem, magnitudinem, & multitudinem considerat, non potest gaudere, sed lugere necessum habet, cum tot, tantisque peccatis DEUM creatorem, & jugem benefactorem, læserit, ita tamen ut per fidem certissimus sit de gratia reconciliationis & remissionis peccatorum, adeoque sit in Domino candidatus, vel etiam possessor veræ spiritualis felicitatis. (4) ex ipsius rei conditione; nam tristitia mortifera, quæ candidatos criminalium suppliciorum*

etiorum premit, nullam obtinere majorem potest felicitatem, quam si vitæ conservandæ nuncium iis afferatur, quæ tamen saltem est *mors corporalis & transitoria*; multo magis igitur felicitati spiritualium candidatorum mortis, vid. peccatorum, hoc tribuendū est, si nim. vitæ spiritualis nunciorum, & celestis promissum, iisdem per veram pænitentiam contingat. (5) *ex synonymorum notatione*, quia vocatur alias *λύπη κατὰ θεόν*, *tristitia ad DEUM*, & operatur salutem eternam *II Cor. VII. 10. 11.*

11. *Felicitatis Lugentium spiritualium Essentiam*, ea tum à priori per causas, tum à posteriori per effectus describitur (1) ratione Cause, vel consideratur *Efficiens causa*, quæ partim est *principalis*, nim. *DEUS gloriosus*, quoad *essentiam unus*, & quoad *personas, trinus*, qui solus verè, summeq; *beatus* est *I Tim. VI. 15.* & *omnis beatitudinis autor*, & ab hoc solo *beatitudo lugentium spiritualium* dependet: nam ab hoc pendet *beatitudo laudata* (1) *ratione Patris*, qui sua *miseriordia* miseris peccatoribus, quamvis lugentibus, ab æterno *beatitudinem istam* præparavit, destinavit, & tanquam verè pænitentibus donavit. (2) *ratione Filij*, qui suo consilio *beatitudinem istam*, ceu *sapientia Patris Prov. II. 1.* invenit, & post *consilium salutis*, veræq; *beatitudinis auxilium* tulit, suoq; *merito* *beatitudinem istam* mirabiliter & laudabiliter acquisivit. (3) *ratione Spiritus Sancti*, qui per verbum hanc *beatitudinis gratiam* manifestavit, per *Sacramentorum usum* confirmavit, & ipse, tanquam pignus certissimum, obsignavit *Eph. I. 14.*

13. Partim est *Ministerialis*, quâ ratione *Minister κατ' ἐξοχλήν* est *Christus ipse*, qui præsens oraculum nobis proposuit, & spiritualiter in peccatis lugentibus *beatitudinem veram* attulit, dum non modò *Protoplastis* olim protulit, *Gen. III. 15.* sed etiam in diebus carnis novum jubileum magnum peccatoribus omnibus obtulit, *Esa. LXI. 1.* sed ordinariè sunt *Ecclesie Ministri*, qui sunt *Legati DEI, vice Christi, ministerio reconciliationis* fungentes, *II. Cor. V. 19.* dum & præsens oraculum, & alia nobis proponunt.

14. Partim est *instrumentalis*, nō. tum *Verbum DEI*, idq; tum *legale*, ratione *materialis*, quoad *luctum*, qui tum ex peccatorum agnitione, quæ fit per legem, *Rom. III. 20.* tum ex legis accusatione, quæ peccata graviter accusat, tum ex iræ divinæ demonstratione, tum ex legis maledictione, tum ex ejus condemnatione &c: non potest nō oriri: tum *Evangelicum*, ratione *formalis*, quoad *beatitudinem*, quæ nunc in statu corruptionis ex lege non potest expectari, cūm ex lege non justificetur, aut beatitudine donetur ulla caro, *Rom. III. 20.* sed beatus est, qui, ceu peccator in luctu peccatorum, DEI verbum audit & custodit, *Luc. XI. 28.* utpote quod est *verbum salutis*, *Act. XIII. 26.* *verbum vite*, *Phil. II. 16.* *verbum æternæ vite*, *Joh. VI. 63.*

15. Tum *Sacramentis*, quia *Baptismus* est *penitentia* consequenter luctus *spiritualis*, *Sacramentum in remissionem peccatorum*, *Luc. III. 3.* & *regenerationis & renovationis in Spiritu Sancto lavacrum ad æternam vitam felicissimam hereditatem*, *Tic. III. 5.* in quo de peccatis commissis *lugemus*, & in hoc mystico luctu per veram fidem *felicitate* mysticā donamur: Et *Cœna Domini* per corpus & sanguinem Christi verè dicitur *epulum remissionis peccatorum*, *Matth. XXVII. 28.* adedq; tum *luctum penitentialis contritionis spirituales*, tum etiam *spirituales felicitatem* includit, cūm sit *cibus immortalitatis*, & *veræ felicitatis*.

16. *Causa Materialis alia* dicitur *ex qua*, quæ propriè loquendo nec in *beatitudine*, nec in *luctu* datur: si quis *analogicè* partim *luctum ipsum*, partim *spirituales luctus statum*, ex quibus suo modo *luctus spiritualis* constare, quiq; *lugentes spirituales* tales præstare perhibentur, *materiam* appellare velit, nos minime refragamur. *Alia* dicitur *in qua*, sic *Beatitudinis hujus Subjectum* dicitur (1) non *Angelus bonus*, utpote, cui nullus *luctus* propriè competere potest, cūm semper faciem Patris cœlestis videat, *Matth. XIX. 10.* (2) nec *Angelus malus*, cui nulla *beatitudo* convenire potest, cūm in perpetua & omnigena vivant miseria, cūm angeli mali detracti catenis noctis in tartaro reserventur ad iudicium, *II. Pet. II. 4.* (3) Sed *homo*, non equidem  
ratio.

ratione *status integritatis*, in quo nullus *luctus actu* fuit; nec ratione *status glorificationis*, in quo nullus *luctus esse* poterit; nec ratione *status mere corruptionis*, in quo merus & continuus de jure datur *luctus*, nulla *beatitudo*, seu *felicitas*: sed ratione *status restorationis*, in quo ratione *veteris Adami* datur *luctus* propter peccata, ratione *novi hominis in Christo* datur *felicitas & beatitudo*, utriusque respectu datur *luctus Spiritualis felicitas*. Subiectum igitur *Felicitatis* hujus sunt *verè fideles*, vel *Christiani*, de peccatis suis dolentes, & in Christum vera fide credentes, ac in ipso *mysticam felicitatem* apprehendentes, sibiq; firmiter applicantes. *Alia materia circa quam*, vel objectum, sic *beatitudo hæc immediate circa luctum ipsum Spiritualem*, mediate tunc circa *peccatorum agnitionem & detestationem*, & illorum *aversationem*, item *peccatorum gravissimarum, & promeritarum meditationem ac ponderationem*, è contra *Spiritualium bonorum in CHRISTO magnitudinem & multitudinem* versatur.

17. *Causa formalis* etiam  $\mu\eta\sigma\eta\epsilon\iota\omega\delta\eta\varsigma$  est, à nobis facilius introducitur, quàm exponitur, vel intelligitur. Nam in mysteriis rem credimus, modum & formam nescimus. *Beatitudo, seu felicitas*, spiritualium lugentium verum *mysterium* est, ab omni rationis captu, vel conceptu prorsus alienum. Interim *formaliter* vocatur  $\lambda\upsilon\pi\eta\ \kappa\alpha\tau\grave{\alpha}\ \theta\epsilon\omicron\nu$  II. Cor. VII. 10. *Tristitia ad DEUM*, vel *secundum DEUM*, quod in *ampliatione* dicitur intelligendum, quia *beatitudo* talis consistit in *felici tristitia à DEO*, quoniam DEUS est *efficiens causa* felicitatis, & lugentis felicitatis, à quo nil nisi bonum, nisi beatum, provenire potest. (2) *in felici tristitia ex DEO*, quia DEUS omnia suggerit, ex quibus felicitas lugentium essentiam suam, vel *materialē constitutionem* accipit: (3) *in felici tristitia secundum DEUM*, ut DEUS sit *mensura* totius hujus contristationis, & ad divinam voluntatem omnia regulentur & examinentur, atque probentur. (4) *in felici tristitia in DEO*, dum non nisi in DEO tristitia hæc suscipitur, concipitur & reperitur, extra DEUM nulla *luctus felicitas*

B inve

Invenitur. (5) in felici tristitia ad DEUM, quia luctus omni felix ad DEUM unice dirigitur, & ad DEI notitiam atq; gloriam ordinatur: (6) in felici tristitia propter DEUM, propter quem solum hic luctus felix admittitur.

18. *Causa finalis* dicitur hoc loco *Consolationis consecutio*, quia discretis verbis textus hanc exprimit, quia ipsi consolationem consequentur, quibus exprimitur & *finis cui*, nim. *duo* *toti*, *et* *πενοῦντες*, ipsi lugentes, & non alii, consolationem accipient; & *finis cuius*, hic est consecutio consolationis, quia consolationem accipient: quod, juxta B. Chemnit. super h. l. c. 51. Harm. Evangel. intelligi potest vel de consolatione reali, in liberatione & mitigatione calamitatum in hac vita, juxta dictum I. Cor. X. 13. *Fidelis est DEUS*, qui non sinit suos tentari ultra id, quod ferre possunt, sed dat eventum tolerabilem; vel intelligitur de consolatione interiori, qua Spiritus Sanctus animum in luctu consolatione perfundit, spe & patientia erigit, roborat & confirmat, sicut II. Cor. I. 3. Paulus inquit: *DEUS* totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: sicut abundaverunt afflictiones *CHRISTI* in nos, ita & per *CHRISTUM* abundet consolatio nostra: & Psal. 94. 19. secundum multitudinem dolorum in corde meo consolationes tue letificaverunt animam meam Rom. V. 3. *Gloriamur in afflictionibus* Psal. XIX. 14. *Desine a me, ut refrigeres priusquam abeam, & amplius non ero*: vel quod de consolatione dicit, intelligi potest de consolatione in futura vita, sicut Luc. XVI. 26. *Abraham dicit: Lazarus in vita sua accepit mala; nunc vero consolationem accipit. Et II. Thes. II. 16. dedit consolationem aeternam. Et hac triplex interpretatio non insinuat ambiguitatem, vel incertitudinem promissionis: sed quia DEUS his modis pro sua bona voluntate solet suos consolari, vel liberando, vel mitigando, vel animo confirmando, vel salvando: sicut elegans est veterum oratio, monens in cruce orandum esse, ut DEUS vel liberet, vel mitiget, vel confirmet, vel salvet. Hæc ille, quæ consolationem à posteriori respiciunt, quantum ad penam, vel crucem: sed potior consolatio respicit consolationem quoad culpam, & peccatum Esa. XL. 1. 2.*

*Luc.*

Luc. I. 47. Act. X. 47. *Qua sit illa consolatio, scribit Venerandus  
 Dn. D. Calovius, dicitur Esa. XL. 1. 2. Luc. I. 47. Act. X. 47. Lugent  
 penitentes ob peccatum commissum, gaudent ob solatium divinitus  
 promissum: lugent ob Satanae tentationem, gaudent ob divinam à  
 malo liberationem Job. XVI. 23. II. Tim. IV. 18. Rom. V. 2. in  
 lugent ob culpam, latantur ob gratiam; lugent ob pessimum factum,  
 latantur ob Christi meritum, lugent in contritione, latantur in  
 fide, lugent ex lege, latantur ex Evangelio: lugent ob mali per-  
 peccationem, latantur ob peccati remissionem, lugent propter su-  
 am injustitiam, latantur ob imputatam Christi justitiam &c. De  
 Beatitudinis hujus propriis, adjunctis & effectibus, nil modo addimus.*

19. III. *Analysin Rhetorico-Homileticam, sic agitur in hoc  
 Oraculo (I) De Vera spiritualium lugentium Felicitate. Nam  
 Christus maximum his in terris luctum sustinuit, dum omne ma-  
 lum nostrum pertulit, suoq; luctu meritorio veram Lugentibus fe-  
 licitatem acquisivit: hinc etiam omnium optime de Vera spiritua-  
 lium lugentium Felicitate verba facere potuit: proponit autem  
 (I) Vera Felicitatis spiritualium lugentium rationem, & eligi sinit:  
 quibus ostenditur (1) ratio felicitatis divinissima, quia felicitas  
 hæc non tantum divinitus nobis destinata, sed etiam à DEO  
 parata, verboq; divino à Christo tum oblata, tum promissa. (2)  
 ratio felicitatis verissima, quia Christi verba nihil aliud, quam  
 sunt, non nuda dicta, sed ipsa facta, selig. (3) ratio felicitatis  
 presentissima, sinit quia felices sunt jam de presenti, non tantum  
 de futuro, sed ratione DEI, vel ab intm, non ratione mundi, vel  
 ab extrm. (II) Felicitatis lugentium mansionem, apud quos illa sit  
 felicitas, nim. apud lugentes, qui lugent (1) ob boni omissionem,  
 quia nihil boni fecerunt. (2) ob mali commissionem, quia multum  
 mali commiserunt. (3) ob DEI offensionem, quia per utrumque  
 DEUM graviter offenderunt. (III) Felicitatis lugentium De-  
 monstrationem, denn sic sollen getröstet werden (1) Spiritu con-  
 solationis, quia Spiritus Sanctus solatur lugentes, suoq; solatio  
 Spiritum internum sub medio luctu felicem reddit. (2) Verbo  
 Consolationis, quod est Evangelium, præsens etiam Oraculum. (3)*

facto consolationis, quia DEUS ipso facto pœnitentes & ob peccatum lugentes consolatur.

20. (II.) *Luctum latum, vel letitia*, Christus hic paradoxo quodam proponit, & quidem (I.) *Lati luctus Metam, Selig sind* / quia beatitudo lati luctus finis est, quâ ratione dicitur (1) *Metam gloriosa, selig*: quia beatitudo maximè gloriosa, cum sit finis ultimus. (2) *Metam gratiosa, sind* / nim. per DEI gratiam hæc beatitudo donatur, non per nostram industriam comparatur. (3) *Metam numerosa, selig sind* / μακάριοι, divinâ multitudine beati. (II.) *Lati luctus Materiam, οἱ πενθῶντες*, quâ ratione describitur hæc materia (1) ratione *quidâitatis*, sunt homines, quibus Christus hac in turba loquitur. (2) Ratione *qualitatis*, οἱ (emphaticè) πενθῶντες, nim. pœnitentes fideles, de peccatis dolentes. (3) Ratione *quantitatis*, quia loquitur in plurali, οἱ πενθῶντες. (III.) *Lati luctus forma, quia ipsi consolationem consequentur*, quâ ratione *forma lati luctus* consistit (1) *quoad fieri, in divina consolationis oblatione, ὅσα κληθήσονται* nim. à DEO. (2) *Quoad esse, in consolationis applicatione, Ἔξω sollen getröstet werden.* (3) *Quoad operari, in divina consolationis fructificatione*, quia *consolatio* hæc miram & meram pariter lugentibus his *felicitem*.

21. (III.) *Arcana luctus mystici, vel Christiani*, quâ ratione Christus ostendit (I.) *Arcana scopi, selig sind* / siquidem *scopus* hic (1) *scopus ultimus*, quia beatitudo *finis ultimus*. (2) *Scopus optimus*, quia beatitudine melius quid dari non potest. (3) *Scopus maximus*, quia dicitur μακάριοι, quilibet admittitur, nullus excluditur. (II.) *Arcana Subiecti, οἱ πενθῶντες* (1) *ratione sui*, sunt *homines tantum*. (2) *Ratione rei*, sunt *lugentes, verè pœnitentes, verèq; de peccatis dolentes*. (3) *Ratione DEI*, sunt quasi verè singulariter lugentes, nim. credentes, & DEUM in luctu præsentem possidentes. (III.) *Arcana Medii, quod est divina recreatio, vel consolatio*, siquidem hæc est (1) *Medium verissimum, ὅτι, nota causalis*. (2) *Medium certissimum,*

ſie



fic solent. (3) *Medium plenissimum*, geroßtet werden / modis omnibus, in omni luctu.

22. (IV.) *Gloriam Mysticorum lugentium*, quæ triplex est: (I.) *Gloria mystica beatitudinis*, selig sind / siquidem hæc est (1) *Gloria beatitudinis divina*, respectu principii, quia DEUS lugentes beat. (2) *Gloria beatitudinis activa*, respectu medii, seu verbi, quod beatitudinem in lugentibus præstat. (3) *Gloria beatitudinis ampliata*, quia uauçáçioi sunt, indefinite quivis admittitur. (II.) *Gloria mystica habitudinis*, oi πevθῆvτες, quia sunt oi, vel emphaticè lugentes, (1) in DEO, ratione paterna misericordie. (2) In Christo, ratione meritorie gratie. (3) In Spiritu Sancto, ratione sanctificantis efficacie. (III.) *Gloria suavissima dulcedinis*, quæ consistit in divina consolatione, siquidem est (1) *gloria consolationis virtuosa*, οἴα, denn / instar cause, virtute divinâ consolatur efficaciter. (2) *Gloria consolationis propria*, αὐτοὶ lugentes, non alii consolationem accipient. (3) *Gloria consolationis omnivaria*, quia consolationem omnis generis, modis omnibus, in omni mystico luctu possidebunt.

23. (V.) *Analysin Theoretico-Præcticam*. (I.) Quoad Usum Didacticum, (1) *Mundum esse domum luctus*, Job. XVI. 33. (2) *Ecclesiam magis esse luctus officinam*. Job. XVI. 20. (3) *Luctus hujus vitæ comes est*, Sirac. XL. 1. (4) *Luctus vitæ mysticæ perpetuus vitæ Christianæ comes est*, quia Christianorum vitæ perpetua debet esse pœnitentia. (5) *Peccatum esse spiritualis luctus motivum*, esse præcipuum objectum, cum nihil ferè sit aliud, quod majori luctu dignum, quàm peccata: peccatum esse malorum maximum, adeòq; semper lugendum. (6) *Beatitudo lugentium non est humana, nec Angelica facultatis, sed solius divine benignitatis, solius divine potestatis, solius divine activitatis*. (7) *Luctus mysticus tantum à DEO suam habet originem*, quia DEUS hunc suis fidelibus immittit, ut consolationem quærere & amare discant. (8) *Beatitudo lugentium non est mundi, sed Christi, quia mundus beatitudinem collocat in letitia, non in tristitia*.

in voluptatis carnalis usu, non in spiritali luctu. (9) Luctus  
beatus non est hominum, quia natura hominis tristitiam & lu-  
ctum averfatur: neque Gentium, qui luctui, vel tristitia, quoad  
fieri potest, adversantur, & cum eum effugere nequeunt, sine  
modo contristantur: sed potius Christianorum, qui luctum mysti-  
cum ex lege sectantur, & in eo mysticam beatitudinem venantur.  
(10) B. Chemnit. hic egregiam notat antithesin: Observetur,  
scribit, antithesis, cui Christus hasce sententias opposuit: Mundus  
enim, & caro, in deliciis & voluptatibus hujus vite existimat suam  
beatitudinem, ideo talia quoquo modo sectatur; ab iis autem ab-  
horret, quae, licet pia sint & recta, fletum & luctum in hac vita se-  
cum trahere videntur, qualis est Confessio Evangelij; Christus igitur  
huic persuasioni opponit: Beati lugentes & fletes. Quia ve-  
ro non omnes lugentes beati sunt, Veteres interpretantur hanc sen-  
tentiam de iis, qui lugent vel sua, vel aliena peccata, vel ob DEI  
contumeliam, impiorum perditionem & pusillorum scandala, Rom.  
7. 24. Miser ego &c. 2. Cor. 12. 21. Lugeo eos, qui non paenitentiam  
agunt. Psalm. 119. 136. Deploro eos, qui non custodiunt legem tuam,  
Iam Samuel luxit Saulem, 1. Reg. 16. 1. Et hic quidem pius & sanctus  
luctus est. Sed Christus in genere loquitur de discipulis suis, quan-  
do ipsis immittitur luctus, ut sciant, se habere consolationem, quam  
illi, qui perpetuis deliciis affluunt, nec intelligere, nec gustare  
possunt.

24. (II.) Quoad Usus Elencticum. (1) Monachi lu-  
gentium beatitudinem de luctu spontaneo, vel ex ἐβελοδοθησικῆ  
acquisito &c. exponunt: sed Christus loquitur de luctu mystico,  
non Erbico, non ex ἐβελοδοθησικῆ acquisito, sed ex divina εὐδονίᾳ  
donato, vel illato, non de corporali, sed spiritali. (2) Hugo Grotius  
ad h. l. intelligit luctum in cruce, vel malo poenae. Proprie  
scribit, hic lugentes intelliguntur cum sua qualitate, i. e. qui mala  
ab hominibus, aut à DEO inflata, patienter ferunt: nim. Gaudeat  
patientia duris. Sed rectissime Dn. D. Calopius in Bibl. Illustr.  
hunc Elenchum subjungit: Non de malorum calamitatibus, aut cruce

et perpeſſione, aut tolerantia, ſed de luctu ob reals culpa, hac proa  
 miſſio ſonat. Nam ſequitur ſenſum ſpiritualis carentie, ob defe-  
 ctum bonorum ſpiritualium, in vera contritione luctus cordis afflictus  
 ob ſenſum peccatorum, ſiquidem non laboramus ſolum ſequi ei bo-  
 norum ſpiritualium, ac paupertate ſpirituali, ſed etiam peccatis on-  
 nerati ſumus, ceu ſarcina graviffima, ob qua dolendum nobis, lugen-  
 dumq; eſt, exemplo Davidis Pſalm. VI. & XXXIIX. Atque hic eſt  
 alter gradus poenitentia, planctus noſter ob mala commiſſa, ſicut  
 prior erat dolor ob bona amiſſa. (3) Luctus hic non eſt merito-  
 rius, ſicut eo reſpicit Gloſſa Ordin. quod ruinarum colluſionem luctu  
 purgare poſſimus. Item: Luctus pro peccatis, vel pro deſi-  
 derio caeleſti conſolationem meretur, & non alius. Nam Chriſtus  
 dicit, Beati, qui lugent, non qua lugent: praeterea ſubjecti nota  
 non eſt objecti cauſa: Luctus in ſubjecto poenitente reperitur, &  
 inde verè poenitens cognoscitur, ſed propterea nec eſt, nec eſſe  
 poteſt Beatitudinis cauſa: Subjecti debitum, non eſt objecti, vel  
 etiam ipſius ſcopi meritum: homo peccator lugere debet, ſed  
 meritum in eo nullum exhibet. (4) Chriſtus hic luctum com-  
 mendat, ſed juxta Prov. XVII. 22. luctus oſſa exſiccatur, & II. Cor.  
 VII. 10. mortem operatur, hinc Sime. XXX. 22. jubet eum longe  
 propellere. Verum diſt. inter luctum mundi, & DEI: de hoc,  
 Chriſtus, de priori reliquis in locis agitur: inter luctum amiſſae  
 corporalis voluptatis, & amiſſae ſpiritualis felicitatis; hic praesentis,  
 ille citatis locis intelligitur. (5) Chriſtus hic luctum praescribit,  
 mox v. 12. ſicut & Paulus Phil. IV. 4 perpetuum gaudium praecipit:  
 Gaudete in Domino ſemper. Verum luctus veteris hominis eſt gaudi-  
 um novi hominis. Chryſoſtom. ad h. l. Quomodo, inquit, Pau-  
 lus ait: Gaudete in Domino ſemper? Dixit hoc quidem ille, con-  
 fiteor, ſed eam procul dubio, qua ex hic naſcitur lacrymis, ſigni-  
 ficans voluptatem.

25. (III.) Quoad Uſum Paenitentium [1] Chriſtianiſ (a)  
 cum Chriſto legendum, (b) cum Chriſto patiendum, (c) cum Chri-  
 ſto moriendum. (2) Spirituales luctus elogium (dum beatus  
 praedicatur) ſit quodammodo Chriſti mandatum. (3) Motiva  
 luctus

*luctus* varia sunt: [a] *alii* lugent, quod non honorentur in hoc mundo, [b] *alii* lugent propter rerum temporalium iacturam, [c] *alii* lugent immodicè suorum vel cognatorum, vel amicorum, vel ministrorum, aut Dominorum, per mortem amissionem, [d] *alii* lugent ob denegationem vindictæ, [e] *alii* lugent ex invidia, propter fortunam adversariorum prosperam &c. Sed omnis hic *luctus* potius *virupembilis*, quàm *laudabilis* est: verùm h. l. *luctus* nobis commendatur mysticus, qui fit [a] *Job peccata propria*, s. sint *omissionis*, sive *commissionis*. [b] Ob *aliena peccata*, quia peccatis alienis DEUS, benefactor noster, offenditur. Hinc dicitur: *Beatus* est, qui *sua*, sed *beatior*, qui deflet *aliena peccata*. [c] Ob *peccata gravia*, quando sceleribus gravissimis DEUS ad iram, & poenam provocatur. [d] Ob *peccata publica* &c. (4) *Luctus* est expetendus, sed qui *Christianus*, *beatus*, & Evangelicâ *consolatione* præditus, atque plenus est.

26. (IV.) Quoad *Usum Epanorthoticum* [1] *Luctum mysticum* non esse fugiendum, quia hic à Christo commendatus, & verè mandatus est. [2] Non tam *mortuos*, quàm *peccati morem* lugendum esse, sicut habet *Chrysostr.* Propterea *Salvator* ait: *Beati*, qui *lugent*, non *mortuum*, non *iacturam*, sed *peccata*. *Lugendus* igitur potius est, qui *mortuos*, non autem seipsum DEO *mortuum* ob peccatum *luget*. [3] Non cum *hominibus* ob *damnum bonorum naturalium*, nec cum *Gentilibus*, ob *damnum bonorum casualium*, sed cum *Christianis*, ob *damnum bonorum spiritalium*, lugendum esse. [4] Ne *luctum* admittamus, & *consolationem* dimittamus: *luctus* enim sine *solatio* præstat *miseres*, cum *solatio* *beatos*.

27. (V.) Quoad *Usum Pameleticum* [1] DEUS est, qui solatur omni consolatione in hoc *luctu*, II. Cor. I. 3. & abstergit omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, Apoc. XXI. 4. hinc *Esa. LXVI. 13.* lugentibus dicit: *Ego consolabor vos*. [2] *Luctus mysticus* per fidem parit *solatium*, *gaudium*, & *beatitudinis præmium*: non equidem ratione *nostræ*, sed ratione *DEI*, nec ratione *sui*, sed ratione *Verbi*. *Psalms. XXX. 12.* *Jer. XXXI. 13.* *Job. XVI. 20, 22.* (3) *Consolatio* sequitur *luctum*, non ut *meritum*, sed ut *præmium*, idq; non tam *externum*, quàm *internum*, & *æternum*.

**A**nxia mens lacrimas terris quæ fundit amaras  
Siderei capiet gaudia magna poli.  
Nam Christus *Fientes* pronunciat esse *Beatos*;  
Et tollit lacrimas, quæis maduere genæ.

Pondere sub magno dulcis Tua Patria plangit,  
Quod, precor ex animo, mitiget, ipse DEUS.

ABRAHAM CALOVIUS, D.

**Q**ui lugent peccata gravi marore, Beati,  
Christi Evangelio iudice, semper erunt.

Qui lugent peccata DEO, solamina viva  
Ex Verbo Domini semper habere queunt.

Qui lugent peccata, fide Christumque;prehendunt,  
Justitiæ veræ mûnera cuncta ferunt.

Talia SUTORI doctè meditaris, & omni  
Mystica verba DEI sedulitate moves.

Perge DEUS cernit, conamina sancta beabit,  
Et PATRIÆ, atque Tibi commoda plena dabit!

JOHANNES Deutschmann / D.

**F**elices, Christus, bis terque quaterque beatos  
Prædicat: his terris, quos mala mille premunt.

Hoc, dum defendis Cathedrâ, Doctissime Fautor,  
Ut maneat, faxit, Te, bona mille DEUS.

*Gratulab. f.*

CHRISTIANUS DONATI,  
Log. ac Met. Prof. Publ.

**L**uges? omnino: quia multa pericula nostram  
Dilectam Patriam, sine latente, premunt.

Gaudes? omnino: quoniam Solaminis Autor  
Idem qui luctus promptus & aptus adest.

*Felicitatem redidivam precatus es gra-  
tulatus! Doctissimo Dn. R.*

M. PAULUS PLATANI, Hung.

**H**i, si felices, qui lugent. Patria certe  
Præ reliquis, tali nomine jure venit!

*Paucula hæc Doctissimo Domino Respond.  
gratulabundus adjicere voluit, debuit*

THOMAS ZACHARIÆ, Cibinio Trans.  
S. S. Theol. Studiosus,

PLurima Sacra Tibi scrutanti pagina dicta  
Ad disquirendum suppeditare valet;  
Sed quò sors Patriæ sistatur, pronius ullum  
Vix datur, ac præsens quod medicamen habet.  
Hoc nostros luctus certò jubet esse beatos,  
Cedat tristatis dulce levamen, alt.

JOHANNES BAPTISTA RÖSHELIUS,  
Sempronio-Hungarus.

**S**chau Vaterland! wie die Leidtragenden auff  
Erden/ (den;  
Dein Jesus seelig preist/ denn Sie getröstet wer-  
Drum must Du gleich auch ist viel Leid und Elend tragen/  
Getrost! Du solt auch den verheißnen Trost erjagen.  
Glück zu! sehr wehrter Freund / der durch gelährtes  
Sinnen/

Diß richtig hat erkläret: O Gott segne Sein Beginnen/  
Daß Er Sein's Fleisses Frücht in Dessen Kirch bald  
zeigen

Und sich der Gönner Herz mög freundlich zu  
Ihm neigen.

Zu Ehren und zu bezeigung Seiner vertrauten  
Freundschaft setze dieses Seinem wehrer  
geschäftem Herrn Lands Mann und  
Stubengesellen hinzu

Christoph Fridrich Grattenauer/  
von St. Gotthard auß NiederUngern/ d. h. S. B.

**M**ens pia ter geminò premitur persèpe dolore,  
Tum rictu obveniunt quæquæ patente mala.  
Tunc videas tacitis ut ferbeat anxia votis,  
Utquæ malorum undis fluctuet agrè animus.  
Discere tunc numeros quibus possit ritè malorum;  
Aut quæ speranda huic arte medela malo?  
Sed luctus brevis est, sequitur post uubila Phœbus  
Tristibus ipse, D E U S scade levamen erit.

Hiscæ Sententiæ Dni. Conterr. & Amici sui Ho-  
noratissimi astipulari voluit

GEORGIUS CHRISTOPHORUS MELCH;  
de ZUANNA, Semp. Hung. J. U. S;

☉(O)☉

05 A 193

ULB Halle 3  
004 206 940




019









2. D. B. V.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
CHRISTIANA SPIRITUALITER LUGENTIUM FELICITATE,

Ex Matth. V. v. 4.

QVAM

DEO TRINUNO AUSPICE  
In Electorali Academia Wittebergensi  
SUB MODERAMINE  
VIRI

*Summe Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi,*

DNI. JOHANNIS Deutschmann/  
SS. Theol: D. longè celeberrimi, ejusdemq; Facult:  
Prof: Publ: ordinarii famigeratissimi, & Alumnorum  
Electoralium Ephori Gravissimi.

*Domini Praeceptoris, Patroni ac Promotoris sui, Filiali observantia aeternum colendi, devenerandi.*

Publicæ Θεολογικῶν συζητήσεσιν subjicit

GEORGIUS SUTORIUS, Sempronio-Hung.

IN AUDITORIO MAJORI.  
Die 8. Octobris, horis antemeridianis  
A. O. R. M. DC. LXXVII.

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS BORCARDI, Acad. Typ.  
Excudebat SIMON. LIBERHIRT.